Ungedruckt, MS. I, 2.

Ungedr. J. Tiaden II, S. 106

Plebi rusticae oportune, nunc petendam, postulandamque onerum multorum levationem.

Primum quia res per se justissima ac aequa est, quae est petenda: quaeque jure ac sine iniquitate negari haud-potest. II. Quia res in eum casum aut conditionem devenit, ut quod conniventia quadam, ac amore suorum Principum, paulatim ipsa plebs recepit, toleravitque, id nunc velut indubitatum ac certissimum jus suum a Principe requiratur, adeoque intolerabili incremento requiratur, poscatur, imperetur: quinimo sic imperetur, ut pene pro majestatis crimine habeatur, si quis aut in dubium revocare illud Principis jus, id est, iniquam ejus usurpationem, aut contra sistere, aut suppliciter etiam deprecari audeat. III. Quia si sine contradictione, sineque querela res ista omnis hoc potissimum tempore transmittatur, negligaturve, fundamentum jacitur certissimum et maximum plenioris et gravioris servitutis.

Si enim, hoc ipso nondum pro certo ac summo jure recepto, sola patientia et conniventia plebis tantum augeri onera, atque in hunc, quo jam urgemur, modum excrescere potuerunt, quid futurum censendum est, hoc jam pro jure, citra dubitationem admisso, fundamentoque tam lato, ad caetera extruenda, ex libidine aulae, posito? Praesertim aulae praesentis studiis in cumulanda, ad omnes occasiones, servitute, tam notis et apertis? Errat, errat, quisquis aut levationem sperat, aut modum certum somniat, nisi ipsa sibi plebs de levatione aut modo tandem aliquando serio prospiciat, atque huc consilia sua referat. IIII. Quia ipsa occasio saluberrima, et decreti Imp: et adventus Commissariorum principium, quorum officii pars est, subditorum querelas

si quid

si quid rogabitur à Comitibus, audire et cognoscere, invitato: quam temerè praetermittere, ac postea frustrà requirere, stultorum fuerit.

Occasionis verò hujusce insignem commoditatem, disputatione hac de jure populi et Principis, qui exercitant dudum ipsius Principes temeritate, cum fratre litigantibus, motâ, hisque ipsis rebus nuper πλεονεξία ejusdem jactatis, decreto Caesaris generali in commodum populi interposito, legatis Caesaris in ejusmodi res inquisituris, Caesare ipso, legatis non ab re succensentibus à praejudicio de Comitibus πλεονεξία ac iniquitate in suos occupatis, quae et pronam instituendae querelae rationem praestant, et felicem successum promittunt iis, quorum interest, considerandam relinquo.

Nunc videamus, in quo maximum totius rei momentum est, an justum et aequum sit hoc plebis postulatum.

Justum et aequum esse, plebem rusticam, per Frisiam Orientalem, oneribus quibus plurimis hodiè, praeter rationem congravatur, levari.

Etenim populus Frisiae ~~orientalis~~ universus antiquitus liber fuit, atque ejusmodi maximè onerum expers. Quod evidens ac planè notorium est, ut impudens esse videatur, qui negare audeat. Documento est primum communis omnium opinio, non solum in ipsis Frisiis, sed etiam in exteris, qui vel norunt Frisios, vel famâ saltem aliquid de iisdem acceperunt: unde cognomen illud invaluit Liberorum, die Frÿ Fresen, quo affici publicè privatimque nostri solent.

Deinde fama à majoribus accepta, et per manus tradita, posteris constans et indubitata, perhibens liberam quandam gentem Frisiorum servitute oppressam

à Danis

à Danis, excusso eorum imperio, mox à Carolo Magno Imp: ob egregia merita, de quibus historiae non tacent, perpetuâ libertate esse donatam, vetitamque severè libertatis hujus imminutionem abrogationemve.

Monumenta literarum qualiacunque eodem collimantia, quae famam confirmant.

Imprimis Codex antiqui juris Frisici /: quem quis testem rejecerit :/ in quo leges sunt complures cum rei hujus omnis, quam fama fert, tum libertatis, in gente nostrâ, plena ac indubitata vestigia evidentissima, imo testimonia certissima, et luce meridianâ clariora, impressa habentes: Quarum in numero sunt una atque altera ex iis, quas electiones /: Keuren :/ vocant, libertatem populi potissimum sancientes, item prima, quarta, septima, decima, decima sexta petitiones /: Kesten :/ Hae vero leges fontes sunt et fundamenta omnis juris Frisici etiam hodierni. Quod planè est extra omnem controversiam.

Accedit firmissimum certissimumque argumentum per multa retro saecula continuata possessio ac usurpatio libertatis, quae tam evidens est in Scriptorum monumentis, ac in famâ omnium hominum, ut in dubium vocari non possit. Nam ut Scripta externa copiosissimè hâc de re loquentia taceantur, quam multa ejus generis domestica in manibus sunt? tabulae nimirum feudorum ac pactorum, monimenta actorum aliorum publicorum, et privatorum testamenta, judicum sententiae, arbitria, literae sigillis munitae: Quae Frisicam libertatem plenissimè ubique inculcant, et in promptu esse possunt, si requirantur.

Quid usus ille Comitiorum ad Upstalsboomum, in agro Auricano, ad dissidia usque civilia, per complura saecula,

reten-

retentas à populo, ac diligenter observatas, cujus etia-
mnum testes tabulae sigillo illic munitae supersunt,
annon irrecusabile documentum libertatis populi hu-
jus est?

Adde literas Guilhelmi Imperatoris scriptas et
signatas Aquisgrani, Aº ___ testimonium lucule-
ntum perhibentes libertati Frisiae antiquissimae
inde à Caroli M: tempore, et eandem solenniter
confirmantes.

Adde et Sigismundi Imperatoris (: De Rudolpho
Habsp. enim consultò praetereo, quamvis id in 7. codi-
ce juris Frisici impressum extet:) multò celeberri-
mas ac notissimas tabulas etiam typis publicis vul-
gatas aliquot ante annos, ipsiq Caesari Maximiliano
II in Comitiis ab Ordinibus Groning. oblatas lu-
culentius, quam illae Guilhelmi eadem continentes.
Quibus in tabulis praeter caetera, hoc etiam manife-
~~stissimum~~ est, et exhibuisse tum adhuc librarum
monumenta solennia de libertate populi ac privile-
giis, à Carolo Magno concessis, ipsa ab ipso Impe-
ratore Sigismundo, quae jam periêre, et vulgo tum
Frisios omnes Liberos esse nominatos, Frii Friesen,
nec fas esse illam libertatem populo adimere.
Eae tabulae signatae sunt Aº 1417.

Adde Imperatoris Friderici III literas, Sigismun-
di voluntatem, et quae tabulis ejus continentur,
porro stabilientes: Ne quid de Maximiliani li-
teris dicam.

Adde acta, pactaq cum Alberto Bavaro primum,
Deinde cum Joanne B ejus filio, tum cum Saxonibus,
post cum Geldris, postremò cum Burgundis. Quae
licet eos solum Frisios, qui ad Occidentem Amasi
sunt,

sunt, pleraque concordant [: exceptis, quae ad Bavaros attinent, quibus etiam Orientales fuerant comprehensi :] tamen quae universae gentis fuerit conditio, iisdem legibus ac institutis, satis declarant.

Postremo manifesta res est ex his, quae etiam nunc apud vicinos et cognatos in agro Groningano, inque locis inter Lavicam et Flevum, et plerisque caeteris antiquae Frisiae partibus in usu sunt.

Contra quae Spatsonum aulicorum aliquis, quod dicere possit quicquam habeat? Nisi forte aliam majorum nostrorum, qui ad Orientem Amasi habitamus ab istis, quos postremo dixi, rationem, conditionem, jus fuisse, dicere placeat. Quod ego vanum, falsum, fictum esse, libere fidenterque affirmo, affirmaboque bono, ni fallor, jure, quoad ab eo, qui id dicere audet, contrarium fuerit, certis rationibus, probatum, praesumtio enim pro sententia mea non invalida militat, ob communem opinionem, aut famam, ob nominis, et sanguinis et linguae ejusdem conjunctionem, ob foedera et societates, ob instituta utrobique pene eadem.

Sed ne dubitationi locus ullus relinquatur, dico etiam id certis argumentis posse evinci, ac demonstrari.

Quod libertatis hujus, de qua hic agitur, eadem cis ultraque Amasum, in populo Frisico quondam ratio, idemque jus.

Hoc arguunt leges vetustissimae Frisiorum latae, ut videtur etiam ante receptum Christianismum, tutiis ab Heroldo editae, quae jura gentis eadem a Flevo fuisse in Wiseram declarant.

Docent hoc eadem jam dicta utrobique instituta, ejusdem juris scripti usus, eadem consuetudines ac mores, ac

morum

morum, foederum, comitiorum, tum judiciorum, tum consultationum ac legum ferendarum causâ, ad Upstalsbomum potissimum acti, loco in nostris partibus noto: Qui conventus veluti propria nota, atq argumentum libertatis habebantur, ut ad Upstalsbomam ire, tantundem ac ad libera liberi populi comitia ire, libertatem usurpare, eam labantem forte alicubi, aut rimas agentem, sarcire et tueri.

6 Quid autem absurdius, quam conventus hos, eo loco, more majorum esse actos, qui esset in regione eorum, qui ejusdem libertatis, eorundem comitiorum societatem non haberent! In quo ne quis haereat, Amasanae leges nonnullae faciunt, quarum verba diserte testantur, hoc eodem loco, in conventu publico, ad annum 1312. ipsas latas esse.

Ad propria descendamus. Confirmant idem pactorum tabulae in his nostris locis cis Amasiam confectae, ab indigenis.

E quibus cum unae pro multis (: multae enim citari possunt:) esse queunt, totam hanc rem, de quâ quaeritur, clarissime ac certissime confitentes, superva-canea futura sit plurium allegatio.

Hae decretum continent Aº 1430 editum, pro vendicandâ tuendâq libertate à majoribus acceptâ, idq ab iis potissimum populis, qui nunc comitatu Frisiae Orientalis comprehenduntur. Quo tempore Focko Uken ad dominatum aspirabat. Quibus in tabulis eo plus momenti est, quod ipsi majores Comitum nostrorum, contra quos haec res agitur, cum cetterâ nobilitate, ante alios, nomina sua decreto huic asscripserunt, ejusdemq decreti protectores se patriã

per

per complures annos professi sunt: Quod tum ex actis publi-catis, tum aliis tabulis deinceps signatis liquet, ut de eo dubitari non possit. Initium decreti hujus solennis hoc est, libertatem populi clarissime praeferens.

Dir [?] fandt [?] des Allmechtigen Gades, sy allen mi-nen [?] Frunden [?] ein Vorsilt [?], tho hulpe und tho troste in allen guden Dingen verralten [?]. Post haec nominantur decreti autores, populus et nobiles, deinde professione edita, de consensu, sic porro decernendo subjicitur:

Dat wij Gemene Meente in dessen Vorgenoemeden landen willen mit der hulpe des Almechtigen Goddes, frey, frisch, de eine mit den anderen bestendich wesen, und beschermen unse Olderen Vaderes recht, van Konig Carolo beschreven rechten, und bey der gemeinen Friesche landtrecht und kerckdomen, tho ewigen tiden tho, blijven, und tho beschermende, und tho brengen [?] unser Vyan-dom tho hinderende.

Ad hoc porro decretum respiciens Edzardus Gretsila-nus Ulrici primi Comitis frater natu major, qui foe-deris ejus pro libertate contra Fockonem Princeps et belli Dux erat, anno sequente 1431. in literis Folkerdo cuidam datis, cum sigillo suo, cui defensionem contra vim pollicebatur, sic scripsit:

Ich Edzardt Cirena [?] Hofe [?], Hovetlinck tho Gret-syl, Vormunder in Brokmer lande, doe wittlick und kundig, allen den gehenen, de dessen breff sehen, offte horen lesen, nach inholde unser Vrijheit [?] de breve [?] und Verbundt aller Meenen Friesen in alsulcken punten, als dat alle gude Fresen sollen besitten, und bruken des the, dat ehn mit recht behoren mach und geboret; Also sall Fol-

kert

Item 9. Et mer. wereth idt sacke, dat yhe-
mandt daerenboven Slöt timmeren wolde, dat
sall wy Edzardt Hovetl. und der Menen Lan-
den keren weren, und willen dat helpen -
keren, wor wy konnen und mögen, dat sy
mit den Armen ofte mit den Kercken.

Similiter ejusdem decreti pars, ut arces nobilium semper pateant usibus populi, repetitur solenniter, denuoque citatum sancitur, ac simul populi jus liberum clarissimis verbis ostenditur, in formula pactorum initorum eodem Ao 1431. inter populum cum Nobilitate confoederatum, et Fridericum Larletarum cum Larleti incolis. Rursumque citatur ac confirmatur ex integro decretum idem in foedere inter Nordanos, Harlingios, Ostringios, Rustringios inito, Ao 1434. Cujus foederis formulae principium tale est. In den namen Vaders Soens Jesu Christi und syner gebenedyeden Moder Maget Mariae, und alle Goddes hilligen, de alle gude Landes Saken mothen bewaren. Ut taceam, quod ad idem decretum se referat formula compositionis, eodem anno factae inter populum Frisiae Orientalis et Hymam Papingam Nordanam, quae jubetur conformare se conditioni communi populi pro libertate conspirantis. Cui formulae Edzardus idem cum patre Ennone subscripsit.

Ex quibus omnibus hoc quoque ad hanc rem pertinens extitit, quod post hac tempora, quibus nobiles inter se paciscerentur, pro re nata, semper libertati plebis diserte et diligenter caverent. Quod factum Ao 1440. cum Wibetus Esensis Ulricho Gretsilano

genero

genero suo ditionem et omne jus Esense traderet. Et rursum Aº. 1441. cum Lewardani suisque cum Oster-hufanis de rebus suis transigerent, quo eodem anno mortuus est Edzardus Grethsilanus.

Et quod ad libertatem plebis rusticae inter Amasum et Visurgim, jam inde ab antiquissima memoria, usque ad Ulricum Comitem, qui Edzardum fratrem excessit, incolumem demonstrandam, requiri posset amplius?

Age videamus nunc, quo jure, qua conditione sub Ulricho idem populus fuerit, ut appareat quo etiam nunc jure esse eum conveniat. Nam ab Ulrico in Comitum ordinem promoto omne suum jus, omnemque potestatem, quam in populum habent, posteri ejus acceperunt. Quod praeterea ad minuendam liberta-tem, ac augenda plebis onera accrevit paulatim, id per abusum potestatis eorum, et patientiae obse-quiisque plebis irrepsit, nec aut ratione aut jure ullo nititur.

Dico ergo, Ulrichum, nec ante promotionem suam, nec post eam, unquam usurpasse, nedum rite habu-isse jura ea in populum (: de oneribus potissimum loquor, libertatem immunitatemve minuentibus:) quae nunc ut legitima ac justa successores ejus sibi vendicant.

Quod si usurpasse eum quis dicere audeat, sane credetur ei, cum probationem dictorum idoneam ac sufficientem adferat.

Quod quomodo faciet, cum documenta in scriptis non extent, imo contrarium significantia argu-menta ubique se prodant.

Quorum in numero hoc etiam est, quod ad penulti-mum usque vitae suae annum, non alium quam capi-

talis

falis, (N.B. hoc titulo idem utitur supra valvas templi Nordani in latere australi, ubi insignia civitatis dextrum locum occupant:) titulum usurparit, hac nimirum formâ.

Wir Udrich tho Gretsyhl, Norden, Aurich, Embden, Berum, in Oostfrieslandt hövetlinck. cum quidem jam decem annos dignitatem Comitis ab Imperatore acceptam haberet.

Quis autem habuisse credet, quod non usurparit. Quanquam contrarium ejus per se evidens est, ut conjectare non sit opus.

Nam si habuit, necesse est, aut oppresso vi et armis populo, belli jure, quod tamen jus injustum, aut populi liberali dono et cessione, aut denique Imperatoris beneficio habuisse.

At primum falsum est, ut monumenta scriptorum luculenter testantur.

Et si maximè ejusmodi quid esset, irritum tamen id jus esset, quod meliore titulo non niteretur.

Nec secundum magis verum, cum constet ex monumentis, non dominum, sed rectorem à populo, pacis tenendae, ac reipubl: tranquillè gubernandae causâ, eum esse cooptatum, aut admissum, quemadmodum ante eum soli Nordani, et Broecmerii, et tandem etiam Embdani fratrem ipsius Edzardum, cujus mortui locum ipse deinde primum tenuit, donec paulatim reliqua inter Dullartum et Visurgim adjiceret, sibi praefecerunt. De quo ne dubites, vide Nordani, quomodo cum Hajmâ Itringiâ pepigerunt! quam plenè libertati suae caverint, anno eo, qui proximus ictum antecessit, quo iidem Edzardum Hajmae substitu-

erunt

erunt. Quod autem Nordae accidit, cur aliter aliis in locis, qui veterem eam receperunt, id accidisse credemus, praesertim cum tam multa in contrarium argumenta appareant. Hinc illi non dominorum sed capitalium tituli ipsis tributi, illae potestatis concessae usus, qui autoritatem potius praecipuam, quam Imperium prae se ferre videretur. Quale est, quod subsidia magis rogarent ad necessitates communes, quam imperarent, aut exigerent: Quod arbitri est, eti, saepius pene quam judices, causas litigantium cognoscerent et definirent: et similia alia.

Tertium vero multo vanissimum est. Qui enim potuit Imperator libertatem populi talibus nixam argumentis, qualia demonstravi, quamque antecessores ejus toties perpetuam esse jusserant, minusque a successoribus diligenter ac severe vetuerant, sine ejusdem populi assensu et voluntate alteri addicere, aut mancipio tradere, jura ejus vetustissima et sancta in alium conferre!

Quid dico potuit? Ne voluit quidem, multo minus fecit. Vidimus enim tabulas promotionis, quibus omne beneficium Imperatoris Ulricho et domui ejus collatum continetur. In iis post verba, de collato nomine ac axiomate Comitis etiam ista habentur. Mit allen und jeden Herrlichkeit, Gemeinheit, Freyheit, Zöllen, Accisen, Münten, Bergwerk des Goldes und Silbers, und andern Vortheil, in und außen Gerichten vor allen andern haben, gebrauchen und genießen sollen und mögen, so sie bisher genutzt und gebraucht haben und jetzo gebrauchen.

Ein

En dignitatem novam adjectam, et honorum insignia ab Imperatore, commoda verò jura q; non aucta, sed eadem quæ ante promotionem fuerant, relicta.

Adduntur deinde alia, haud paulo adid, quod ad institutum nobis est probandum, evidentiora. dein ait Imperator: (Uns und dem Hilligen Rijcke unser Obrigkeit, gewalt und gerechtigkeit, und gemeinen lande Ostfrieslandt ahn allen eeren, freijheiden und gerechtigkeiten, so ehr van gelöfflicher gedechtnissen Kayser Carel dem groten, ock anderen Römisch. Kayseren, Koningen und Vorvaderen gegeven sindt, edder sonst bett hir gehadt und gebruickt hebben, dat wij hiermede nicht affnehmen, sondern an ihren Ehrlande und rechten laten sijen, unnachdeelich.

Vides, ut diligenter caverit libertati, atque omni juri populi, sive ab Imperatoribus olim collato, sive à majoribus per manus tradito ac usurpato, cui nihil omnino hoc beneficio suo in Ulricum et Ulrici domum collato, novaq; hac honoris assignatione detractum, nihil præjudicatum voluerit! Quod autem jus populi fuerit, prius est demonstratum. Unde reliqua, de quibus agitur, facile concludi ac confici possunt.

Atque hanc suam mentem de non minuendo Frisiorum jure, sed eo integro et illibato relinquendo, ne qui dubitare posset, Imperator idem amplius etiam declaravit, cum triennio post, nimirum Aº 1457. ad petitionem Frisiorum Occid. literas Sigismundi Imperatoris de libertate et privilegiis

Frisi-

Frisicis, de quibus literis diximus paulò ante, solenniter sine omni exceptione confirmavit, ratasq esse jussit. Quo nihil alioqui ab eo fieri potuisset absurdius, atque ab Imperatoriâ Majestate gravitateq alienius? Nec aliud demonstrant literæ, pro confirmatione libertatis et privilegiorum, ab eodem Imperatore Groningani agri incolis datæ, eo tempore, quo Novesium à Carolo Burgundo obsidebatur. Deniq clarissimum hoc faciunt conditiones, quibus Gubernatio Frisiæ, simili exemplo, Saxonum Duci Alberto ejusq heredib, à Maximiliano Imperatore, commissa est, actionesq quæ inde inter Gubernatorem et populum secutæ sunt. Quæ omnes hoc habent, ut legitimâ potestate regendi illi concessâ, populo reliqua libertas, reliqua jura integra atque illibata manerent. Quæ ità quoque servata sunt, ut ne rebellionis quidem crimen, in quod populus postea incidisse jussus est, post recuperatam vi atque armis provinciam à Saxonibus, nec Burgundicum Imperium sub Maximiliano et Carolo V. Imperatore, quorum ille tutor pro filio, hic Princeps Burgundiæ et ditionum Burgundicarum erant, simulq summam Imperii Germanici potestatem tenebant, præter perexiguum tributum annuum constitutum, quicquam eorum ad hoc usq tempus, poterit detrahere. Nec dici potest, titulo aut nomine honoris solum dempto, aliud jus alium potestatis modum Ulricho quam Saxonibus esse assignatum: De quo judicare poterant omnes, qui rerum illarum periti sunt. Ulricho ergo, et Domui ejus, in detrimentum ac præjudicium juris populi, nova dignitas non est assignata, sed mansit populo

suum

suum jus, sua in rebus privatis libertas.

Nec poterit probari, successoribus ejus deinceps amplius aliquod jus, aut potestatem latiorem, à sequentibus Imperatoribus esse collatam, populi jure minuto. Quin imo notum est ex eadem hac formulâ, omnes quotquot Ulricho in gubernatione successere, de feudo esse investitos.

Unde igitur hae onera tam multa et gravia, ac reliquis Frisiae partibus ignota, quibus hodiè populum gravari videmus?

Non aliunde certè, quam ex abusu potestatis, patientiâ populi, ac erga Comites suos singulari amore. Nam ministri Comitum, et quisque maxime gratiae eorum studuit, itâ exemplo vicinarum nationum, oneribus obnoxiarum, aliquid semper invenire, ac inducere conati sunt, per varias artes, quod ad aulae reditus augendos sensim, ampliandamque potestatem Comitum, quae accepta Imperantibus esse noverant, pertineret.

Maximeque hoc factitatum ab iis, qui è peregrinis in ministeria delecti, onerum hujusmodi jam indigenis gnari erant. Sed sensim, ut dixi, ac minutatim per intervalla, penè ut incrementum istiusmodi, plebs ipsa non sentiret: Nec imperandi modo (: non enim tulisset plebs :) sed per preces, ut quodque noviter coeptum, tentatumque; non, inquam, potestatis jure, sed petitione, pro re natâ, subsidii alicujus aut operae, sine praejudicio libertatis, ac temporis futuri. Deinde in consuetudinem pleraque iteratis precibus, et sensim longius provectis, atque in imperium penè, ut fit, degenerantibus tracta, usu confirmata, denique jure paulatim usurpata, exacta.

Plebs enim, ut dixi, suorum Principum, quos suae gentis esse, penèque è medio sui progressos noverat,

beni-

benignosq etiam ac faciles et blandos experiebatur, mi-
rifice amans, (: est enim hoc nostratibus insitum, suos
amore prosequi :) facile preces ejusmodi, utpote minime
suspicax admisit; imo nonnunquam ultro quaedam
obtulit, declarandi studii sui causa. Quod non semel
Edzardo Ulrici filio accidisse accepimus: Deinde
blande tractata consuetudinem serpere in praejudicium
juris sui etiam passa est, cum alia aliis paulatim
accederent: postremo, quo nihil in obsequio suo erga
Principes desiderari posset, non jure suo decedens,
certum modum onerum et definitum in se recepit,
qui in posterum semper praestaretur, atque ita com-
moda Principum suorum, quibus impense bene vole-
bat, commodum proprium posthabuit.

Atque hac ratione, beneficio gratuito populi, pluri-
mum opes Comitum crevere. Quibus si ubi mode-
rate, ac contenti esse possent, ut illi Principum quo-
rundam splendorem aequare, et amantissimis studi-
osissimisque sui, subditis suis uti possent.

Verum hoc modo caluno sublari nequiit, haud scio, suo,
an ministrorum vitio: sed ultra semper tendens, freta
populi patientia, vetera augens, nova veteribus adji-
ciens, nescio, quo procedere jam dudum conata est.
Quod cum hoc tempore faciat impotentius, quam ferri
possit, ac labores egregie Hebraeis duplicet, deinde
potestatem suam cupidine inexplebili metiatur, id
est, populi libertatem non agnoscat, non beneficium,
quod dixi, non studium, non obsequium, non amorem,
sed omnia sui juris existimet, debita vocet, exigat,
imperet, tempus esse puto, ut obviam ei eatur,

modusque

modusq cupidini ejus, quem jus permittit, oportunè statuatur haud alia sanè, quam ipsius juris aequi et placidi viâ; Ne si siletur diutius, servitus intolerabilis, nostrâ culpâ confirmata, nobis imponatur, quam posteà excutere non possimus.

Et ad ea quidem, quae jam indicis, nova onera imponuntur, denunciantur, parantur, quare nuper dat. postmodum definitum, sine expresso consensu irregere amovenda, quam expedita ratio sit, modo querela paratur, quis non videt! mihi autem ad caetera quoq antiquiora, quae in usum jam dudum abiere, praesertim quae expressum consensum ac approbationem plenam populi non habent, si populum beneficii, patientiae, fortunae, onerum poenitebit, excutienda, juris auxilia deesse non videntur.

Primum quia per se favorabilis semper causa libertatis, contra servitutem: praesertim autem libertatis ejusmodi, qualis est Frisica tam vetusta tot sanctionibus Imperatorum munita, et inviolabilis omni aevo esse jussa.

II. Quod servitus haec ab ejusmodi principiis extitit, processitq est, cujusmodi sunt demonstrata, atq eo modo penè incautis imposita.

III. Quod rescindi beneficia collata, in ingratos, ac beneficia non agnoscentes, imò in fraudem auctorum iis abutentes, leges concedant.

IV. Quod in eum casum planè jam res devenit, ut populus jure ipsius in dubium revocato, ut demonstratum est, in periculum ejus quoq amittendi, quod adhuc reliquum habet, incursurus videatur,

nisi

nisi per restitutionem in integrum quandam amissorum et succurratur.

V. Quod id, quod de Principe supremo dici à nonnullis solet, eum sibi manus ligare non posse, si quid veritatis habet, multò verius de populo dici possit, qui verè Principe major est, et plus eo juris habet: unde sequitur, si ille potestatem suam minuere non potest, hunc hanc jura et libertatem suam posse.

VI. Quod populus seu pupillus sit: Princeps seu tutor ejus. Tutor autem si in fraudem pupilli contraxit cum pupillo, aut eum sibi promissis obligavit, irritus est contractus, irrita obligatio, si pupillum ejus poeniteat.

VII. Quia populus semper habetur minor. Minor autem semper restitutionem petere potest, si temeritate suâ aliquo est prolapsus.

VIII. Quod eum priore cosaret, quia contra minorem non currit ulla praescriptio: Populus autem semper minor aestimatur; Quae maximi momenti argumenta sunt, tum contra contractus, tum contra ea, quae longo usu robur accepisse videntur. Pertinet huc illud, quod à jureconsultis celebratum est, contra populum non valere longi temporis praescriptionem.

IX. Quia Caroli Magni et aliorum Imperatorum decreta et sanctiones ita muniverunt libertatem Frisicam, ut ea inviolabilis haberi meritò debeat, ac semper restitui possit, pascente populo, banni quoque poenâ denunciatâ, si quis contra attentare audeat.

Imperi-

Imprimis verò diligenter et prolixè id sancit Sigismundus Imperator, qui jussit omnes hujusmodi obligationes, in praejudicium libertatis factas quocunque tempore vanas et irritas esse, populumque benè de Imperio meritum, ac imposterum, si res requirat, meriturum, liberum atque ab oneribus cunctis, praeter tributi pauxillum, quod honorarii tantum loco sit, perpetuò immunem manere.

Finis.